O. A. M. D. G.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

ANALOGIA INTER PRIMAM ET ULTIMAM ÆTATEM IN STATU SANO MORBOSO ET DIÆTETICO

SECUNDUM ILLUD:

SENEX BIS PUER EST.

QUAM DEO PROPITIO

ET GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

DN. JOANNE FRIDERICO DE PRE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTANICES ET CHIRURGIÆ PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ ASSESSORE ORDINARIO NEC NON CIVITATIS ERFORDIENSIS SENATORE,

PATRONO, FAUTORE, AC PROMOTORE SUO SUMMO HONORIS CULTU VENERANDO,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS ATQUE PRIVILEGIIS MAJORUM MORE SOLENNI OBTINENDIS,

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET

HERMANN. HÆRTEL, Riga-Livon.

AD DIEM XI. DECEMBR. ANNI MDCCXX.

LOCO HORISQUE CONSUETIS.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

PROOEMIUM.

Multi diversas hominum ætates quatuor anni temporibus passim assimilare solent, & uti hæc sequenti metro describunt,

Ver, æstas, autumnus, hyems sunt quatuor unum,
quæ si membra simul junxeris, annus erit.

Ita illas unico carmine concludunt, dum ajunt: homo quo ad ætatem est

Infans, vel juvenis, virve, tripesve senex.

Quid enim prima ætas infantia aliud repræsentat? quam florida tempora veris; homo quasi flos egreditur & conteritur, ait sacer codex: in vere post superatas hyemis deformitates, exutas pruinas & uligines, dissipatas nebularum spissitudines in gratiosam temperiem aura mitescit, glacialibus vinculis soluta tellus vernantem explicat virorem, & gloria florum arboribus redit, & cultis nova gratia campis, seque or-

ornant variis depicti floribus agri, omnia vigent, omnia florent: sic prima ætas florida est, vernantes anni sunt. In pueritia & in vere, quod huic ætati humidæ correspondet propter temperiem calidam & humidam, sangvis augetur primò, secundò pituita. Pars ultima veris sæpius æstati similis est: in æstate & juventute, quæ ambæ calidæ & siccæ temperaturæ sunt, primò augetur bilis, secundò sangvis; hæc ætas roseis vernat amica genis, quæ primâ lanugine tingi incipiunt, in facie ludit mentis serenitas, blanda in ore lenitas, jucunda in oculis alacritas, & in exporrectâ fronte lætus vigor inambulat: in æstate paulo adultiori siticulosæ fervescit æstas caniculæ, & sirius urit agros, matura ceres invitat falces, tondentur agri, colliguntur fructus: In juventute melior fervet circa præcordia sangvis, & sexus uterque in ordine ad generationem maturescit. In decrescente ætate & autumno frigida & sicca temperatura prævalet, bilis augetur primò, secundò pituita. In virili ætate declinante jam invitantur cani, albescunt Capilli, corrugantur genæ, omnes actiones vitales & animales ab ordinaria activitate deflectunt. In hyeme cæli intemperies, & brumæ imminentis rigor, & hybernantis anni tempestas est, subsidet defloratæ telluris uterus, & effæta terræ calvities turpescit; in ultima ætate hoc est senio & in hyeme, cum ambo in frigiditate & humiditate sibi respondeant, maximè augetur pituita; uti hyems frigidissima, ita in senectute omnis focus caloris extingvitur, frons sulcatur in rugas, surdescunt aures, concava linquunt sedilia dentes, de-

fluunt

fluunt crines, cana nive capillorum vertex hyemat, mortuali pallore facies albicat, annoſa ætas ſe curvat, membra fracta & langvida pendent, hebeſcunt ſenſus, & ante mortem emoriuntur. Alii quatuor elementis comparant hominis ætates hoc verſu:

Eſt infantum ætas aër, ignisque juventus,
Sed matura virorum ætas aqua, terra ſenectus.

Infantes ſicut aëreæ bullæ intumeſcunt, & ſæpe per morbos infantiles correpti paulo poſt evaneſcunt. Juvenes igneæ mentis ſunt, ad omnes ſales & jocos alacres & diſpoſiti ſunt. Viri inſtar aquæ elabuntur, nam minima pars hominum attingit vivendo ſenectam. Senes exareſcunt, & velut arida & exſucca terra contabeſcunt. Mihi verò ſpeciminis inauguralis loco lubet hanc Diſſertationem de Parallelâ Analogia ætatis primæ cum ultima ratione diætæ, ſtatûs ſani & morboſi proponere; DEUS ſummus Archiater, & Dominus altus omnis ætatis, ita mihi ſuo divino adjutorio asſiſtat, ut pro ætate mea de his ætatibus aptè ſcribam, diſertè loquar, & in praxi ſecurâ omni ætati congruè, hoc eſt, citò tutò & jucundè ſuccurram, idque ad majorem Divini nominis honorem & proximi mei deſideratam utilitatem.

§. I.

Ætatis Etymologia, Synonymia, Pragmatologia.

DE Ætate acturus à natura rei ordiar, & quid sub isto ætatis vocabulo intelligatur, præmittam. Ætas Græciam habet patriam ab αἰὼν ab hoc ævum, ævitas, & per syncopen ætas ἡλικία ein jedes Alter, terminus universalis & genericus est omni ætati in specie conveniens. Ætas ab antiquis tripliciter accipitur: imo pro spacio centum annorum & dicitur ævum, ita ab *Ovidio* sumitur, si dicat, *Nestorem* vixisse trecentis annis, & addit, jam tertia vivitur ætas. 2do Pro spacio vitæ humanæ, in quo sensu sæpe loquuntur sacræ litteræ, & uti dicimus: hoc factum est ætate nostra. 3tio Pro parte vitæ, uti dicimus ætatem pueritiæ, juventutis, senectutis, & sic quoque hic usurpatur, quatenus ætas est pars vitæ hominis. Improprie idcirco dicitur ætas, dum de ætatibus mundi prædicatur, quarum communiter sex numerantur. 1ma ab *Adamo* usque ad *Noëmum*, 2da à *Noëmo* ad *Abrahamum*, 3tia ab *Arahamo* ad *Davidem*, 4ta à *Davide* ad transmigrationem Judææ in Babyloniam, 5ta ad adventum *Salvatoris*, 6ta quæ nunc vivitur, usque ad finem mundi. Improprie porro ætas pro uno sumitur anno: uti *Varro* ait, ætatem vix decimam egressus, item *Virgilius*, ubi quarta accesserit ætas. Ætas itidem in communissimo & latissimo suo conceptu mensuram quandam temporis involvit, quæ vitam hominis mensurat, quam græci ἡλικίαν seu temporis mensurationem vocant; minus latè denotat vitæ humanæ curriculum, strictius vitæ humanæ spatium, qualecunque illud sit, strictissime hic sumitur pro parte durationis vitæ humanæ, in qua insignis aliqua fit mutatio in corpore nostro, dum vitæ stadium percurrimus, variarum ætatum mutationes subimus.

Ætas secundum *Heurnium* est intrinseca mutatio calidi innati post se trahens totius temparamenti conversionem.

Cla-

Clarius defluitur quod sit certa annorum periodus, vel certum vitæ spatium, quo viventis constitutio manifestam & sensibilem subit mutationem, in quavis ætate crescimus, & decrescimus secundum illud veriloquium, quantùm orimur tantùm morimur.

§. II.

Divisio ætatis in suos gradus.

Vita nostra suos gradus habet, nec statim ac lucem hanc intuiti sumus, prætextam induimus, nec ex cunis gravi passu in toga talari senum progredimur, verum successu temporis ætas cana venire solet. Prius quis nanus sit oportet, antequam in gigantem excrescat; quælibet ætas habet suam ἀρχὴν ἀκμὴν & παρακμήν. Cæterum astrologi astronomicè dividunt ætatem juxta influxus cælestes & revolutiones; Primum septenarium Lunæ attribuunt, ideoque pueros esse humidos asseverant; quia luna humida, unde & morbum lunarem hoc est epilepticum hæc ætas patitur. In altera ætate volunt dominari Mercurium in secundo septenario, & tum puerorum intelligentia incipit, cum Mercurius sit Deus scientiæ, juvenesque mobiles sunt ut Mercurius; in tertio septenario dominatur Venus, ideo dicunt post annum decimum quartum illos generationi aptos, suntque tum venusti, nihilque aliud cogitant, quam Venerem; succedit quartus septenarius Soli attributus, tum nobiles animos accipiunt. & summis honoribus delectantur; in quinto septenario Mars dominatur, quo tempore fiunt audaces, sunt quoque robusti, promptique ad prælia Martis; sextus septenarius Jovis est, qui bonitatis, morum & ingenii causa est, quare tum prudentiam jovialem habent & bonitatem ingenii. Ultimus septenarius saturno dicatus est, tum sibi ipsis displicere homines incipiunt, donec ad senectutem & vitæ finem perducantur. Jucunda & auditu speciosa sunt hæc astronomorum commenta. Physici ætates diviserunt ab incremento & decremento calidi innati & humidi radicalis, & quamdiu calidum & humidum in proprio vigore esset, nec decresceret,

ju-

juventutem appellârunt, cum verò humidum declinare inciperet & consequenter calidum, denominârunt senectutem calidum autem, innatum secundum horum mentem consistit in minimarum particularum motu, situ, figurâ. *Hippocrates* ætatem hominis aphoristicâ brevitate in tres partes divi-dit, uti videndum est *in Sect. 1. aph. 13. & 14.* Prima est τῶν αὐξανομένων hoc est crescentium, media τῶν καθεστηκότων consistentium seu stantium, & tertia τῶν γερόντων senescentium seu declinantium. *Aristoteles* & *Galenus* conformiter *Hippocrati* divisere in tres ætates, puerilem, virilem & senilem. Alii duas tantum admittunt ætates, stantem & declinantem. Aliis quatuor ætates assignare præplacuit, nempe adolescentiam, sub qua infantiam & pueritiam complectuntur, juventutem ætatem consistentem, & senectutem.

§. III.

Cursus humanæ vitæ in sex ætates merito dispescitur.

Tot sunt ætates; quot solent fieri insignes corporis mutationes, atqui sex tales notabiles mutationes in vitæ decursu solent fieri, ergo sex sunt ætates, major est certa, quia quælibet ætas mutationem à priori discrepantem habet, minor probabitur per partium enumerationem. Si pauciores statuuntur, inter se subdividi debent.

Prima & innocens ætas infantia dicitur, quæ primus ad ætatem gradus est, & à die nativitatis extenditur ad annum tertium vel quartum sed potius ad septimum; hoc est primum climatericum in puellis, in masculis vero excurrit usque ad nonum: dicitur infans, quasi non fans, proprium enim huic ætati est balbutire, prima itaque ætas clauditur anno septimo, in hac ætate corpora sunt humidissima. Postea sequitur secunda ætas, Pueritia, in qua homo expedite loqui incipit, sed caret judicio maturo, hæc ætas indies magis magisque largitur homini perfectionem, in puellis ab anno septimo fere ad decimum quartum hoc est secundum climatericum, quo pubertas incipit, & notabilis fit alteratio in corporis animi-

nimique motibus, & menſes ceu maturitatis flores erumpere ſolent, corporaque ob calorem naturalem auctum ad ſpeciem propagandam incipiunt eſſe idonea : in utroque ſexu inſignes obſervantur mutationes, præſertim in maſculis prodeunt primordia barbæ, vox quæ fuit acuta graveſcit : hinc eunuchi, & quibus in caſtratione teſtes exſciſſi, & ſic ablata ſeminis generatione ſequitur corporis debilitas, nec vox mutatur acuta, imberbesque manent, hæc ætas aliquando in maſculis ad annum circiter decimum ſeptimum & octavum protenditur. Huic proxima eſt tertia ætas Adoleſcentia, inde nomen habet, quod corpora tunc ob gelatinoſi humoris ubertatem plurimum adoleſcant; in puellis extenditur ab anno decimo quarto ad vigeſimum primum uti & Adoleſcentia proprie ſumpta & conficitur tertius ſeptenarius, quamvis etiam ad vigeſimum quintum vel ſextum, vel ſecundum quosdam ad trigeſimum, & dicitur improprie adoleſcentia. Hæc ætas augmenti terminum ac finem à natura ſibi habet præſcriptum, ultra quem non plus ultra licet excreſcere. Adoleſcentiam excipit juventus, duratque ad trigeſimum quintum annum, hæc florida dicitur ætas. Sequitur virilis ætas, à vi & viribus ita dicta, & durat ad annum quinquageſimum. Sub hac ætate virili ſeu conſtante tres claſſes militant : in prima juventus ſeu florida ætas & media græce ἀκμὴ dicta, quæ hominem in ſummo vigore conſtitutum ſine decremento ferè repræſentat; in fœminis terminum habet ab anno vigeſimo vel vigeſimo primo usque ad vigeſimum ſeptimum vel octavum, in viris ab anno vigeſimo quinto vel ſexto ad trigeſimum tertium vel quartum, vel juxta alios ad quadrageſimum. Secunda virilitas ſeu conſiſtens vulgo ætas in fæminis durat ab anno vigeſimo ſeptimo vel octavo usque ad ſeptimum ſeptinarium annum quadrageſimum quartum, vel ad quinquageſimum præter propter, ubi menſtruus fluxus valedicit, in viris vero ab anno trigeſimo quinto vel trigeſimo ſexto ad quadrageſimum quartum vel quintum. Tertia decreſcens in mulieribus ab anno quadrageſimo nono vel quinquageſimo, extenditur usque ad quinquageſi-

mum quintum vel feptimum; in viris vero ab anno quadragefimo quarto vel quinto ad annum qinquagefimum quartum vel quintum. Ætas fexta & ultima fenilis feu evidenter decrefcens eft, & fub hac tres fpecies comprehenduntur. Prima viridis, das geruhige Alter excurrit in mulieribus ab anno quinquagefimo fexto vel feptimo ad fexagefimum tertium, in viris ab anno quinquagefimo quarto vel quinto ad fexagefimum tertium nempe annum climacterium magnum. Secunda media extenditur in mulieribus ab anno fexagefimo tertio ad feptuagefimum, in viris ab anno fexagefimo tertio ad feptuagefimum fecundum. Tertia ultima & decrepita fenectus finitur plerumque in mulieribus circa annum feptuagefimum feptimum, in viris octuagefimum vel octuagefimum primum, in aliquibus utriusque fexus completur anno nonagefimo, & hæc capularis ætas fere mortem inducit, vereque morbus naturalis eft ac ultima linea rerum.

Nota quod licet communibus rythmis germanicis ætates numero decimo difcriminet vulgus fecundum illud zehen Jahr ein Kind, zwantzig Jahr ein Jüngling, dreyßig Jahr ein Mann, viertzig Jahr ist wohl gethan, funffzig Jahr stille stan, sechzig Jahr fangts Alter an, &c. melius medici feptenario omnes ætates difcernant, ita ut infantia primo feptenario abfolvatur, pueritia fecundo, adolefcentia tertio vel tertio cum dimidio hoc eft anno vigefimo quinto, juventus quinto, ætas virilis fexto, confiftens feptimo, fenectus viridis octavo, media nono, decrepita verò reliquo vitæ tempore.

Nota 2do, hos ætatis terminos non adeo effe exactos, variant enim individua, cum alia citius alia tardius adolefcant, atque fenefcant, fœminæ etiam citius viris maturefcunt fecundum *Vallefium*.

Nota 3tio *Varronem* facile nobifcum conciliari poffe, qui quinque gradus ftatuit, in primo usque ad annum decimum quartum pueros vult dictos, quod fint pueri hoc eft impuberes; in fecundo ad annum trigefimum adolefcentes ab adolefco nominatos; in tertio usque ad annum quadragefimum juvenes appellatos, eò quòd rem publicam in re

mili-

militari juvare possent; in quarto autem gradu usque ad sexagesimum annum seniores nuncupatos, quia tunc incipit senescere corpus, in quinta usque ad finem vitæ sènes, eò quod corpus senio laboret, quamlibet ætatem rursus dividit, ut viridis, adulta, & præceps dici possit.

QVÆSTIO,

Quid de annis climactericis ratione fatalitatis censendum?

Climactericus dicitur omnis annus septenarius derivatur ἀπὸ τῆς κλίμακος à scala vel gradu, synonymicè dicitur annus scalaris, fatalis, & decretorius Germanicè Staffel-Jahr oder Wechsel-Jahr, primum, quod quasi per scalam ad altiorem vitæ gradum ascendatur, posterius, quod hominis constitutio, natura, complexio se insigniter mutet. Describitur annus climactericus, quod sit annus periculosus vitæ & fortunæ expositus. Objicitur quidem, difficile est defensu, quomodo numerus septenarius utpote climactericus periculosus esse possit, cum ille numerus tum in sacra tum in profanâ historiâ non mali, sed boni quid in se contineat: sic septimo die DEus quievit ab omni opere suo; quod patrarat, imo in sacris multum mysterii latet in septenario: *Levit.* 13. leprosi septem diebus ab ullo hominum consortio excommunicati erant, hisque diebus elapsis septies sangvine eos aspergi necesse fuit non sine mysterio. *Nahman* 2. *Reg.* 5. septies se lavare debuit in *Jordane* ad abluendam leprosi corporis immunditiem. Septem Psalmos pœnitentiales cantavit psaltes regius *David.* Septem verbis Salvator noster in cruce moriturus ultimam suam voluntatem velut testamentum declaravit. Septem testes admittit pro testamento *Bartholus*, Septimum diem pro die critico admit-

admittit *Hippocrates*; Septem Planetas intuetur *Astronomus*, & in sua signa distribuit *Calendariographus*. Septem metalla eruit ex cryptis *metallicus*. Septem dies comprehendit septimana, *Homerus* denique, ut plura subticeam, hominis prosperitatem extollere cupiens, antonomastice canebat, *O terque quaterque beatus*, quasi septies felix. Sed sit in suo pretio numerus septenarius, anni tamen climacterici non sunt de nihilo, nec tanquam superstitiosum commentum, vel fabulosum astrologorum figmentum divulgandi, sed potius pro veritatis fundamento apprehendendi; usui enim & experientiæ rerum magistræ quandoque major habenda fides, quam rationi. Annales memorant, pluribus viris variâ literaturâ & armaturâ præstantissimis annum climactericum fuisse annum ultimum, ita in anno scalari & decretorio *Orphea* & *Aristotelem*, *Ciceronem* & *Demosthenem*, *Scipionem Africanum* & *Cynicum Diogenem*, *Dionysium Heracleotem* & *Geometram Eratosthenem* fuisse extinctos enarrant historici. Anni autem climacterici statuuntur septimus, decimus quartus, vigesimus primus, vigesimus octavus, trigesimus quintus, quadragesimus secundus, quadragesimus nonus, quinquagesimus sextus, sexagesimus tertius, seu climactericus magnus & heroicus, quia heroëm requirit, qui tam periculosum annum devincat; hinc est, quod referente *Henrico Rantzovio* scribat *Augustus* Imperator filio suo; *Lætare mecum fili, transgressus enim sum omnibus senibus periculosum annum sexagesimum tertium*; præterea anni climacterici periculosi seu crisimi sunt septuagesimus septimus, octuagesimus quartus, nonagesimus primus & octavus, Alii quidem enneaticos seu novenarios annos dixêre climactericos, sed communius recentiores assumunt septenarios, & observatio circa illos non est superstitiosa, cum & medicis constet quotidie, quod numerus septenarius v. g. dies septimus & decimus quartus sint dies critici & decretorii, maximè in morbis a-

cutis

cutis quibus fit mutatio vel solutio morbi in melius vel deterius. Ast non numero ut numero, hæc omnia sunt attribuenda, sed quatenus circa talem annum climactericum, numerus connotat alias circumstantias, specialem temperamenti mutationem, & ex hac mutatione sub certis ætatibus alias actiones & virium decrementum, uti enim secundum leges naturæ crescimus annis ita viribus decrescimus. In senectute enim omnia sensim decidunt, & ruunt in deterius, omnes actiones perficiuntur debilius, languet appetentia, cibi malè concoquuntur, ingens copia pituitosorum excrementorum succrescit, corpus emaciatur & exsiccatur, cutis corrugatur, gracilescit & extenuatur, & consumpta carnium & pingvedinis substantia laxior apparet, pili canescunt & desiunt, colatoria quo ad poros quia collapsa sunt, non fit secretio humorum, inde morbi & periculum anni climacterici. Sub certis ætatibus climactericis temperamenta mutantur, partes solidæ fluidæque aliam acquirunt crasin & motum, unde periculum, quod quoque confirmat *Galenus* dicendo: omnem temperamenti mutationem sequitur periculum *lib. 6. epidem. sect.* 3. Numero quatenus numero nihil adscribitur periculi, sed prout tali annorum numero certæ alterationes in corpore humano connectuntur, quæ tale periculum involvunt; verbi gratia in septimo anno elabuntur & renascuntur pueris dentes, qui sæpe motus epileptico-convulsivos habent comites, decimo quarto succedit pubertas, quæ etiam suis stipata est symptomatibus, menstruum lunare emanare & tempore certo emanere incipit, cujus fluoris vicissitudo non vacat periculo, & ita de reliquorum annorum climactericorum lethalitate ac fatalitate ratiocinandum.

§. IV.

Analogia primæ & ultimæ ætatis in sano statu quo ad facultates animæ & sensus internos.

Analogia non est quidem omnimoda sed aliqualis æqualitas & similitudo alicujus rei cum alia, quæ quantum in prima ultimaque ætate concordet, jam demonstrandum est, & quidem cum utraque benè valet, & extra statum morbosum est.

Intellectus actualiter operans in infantibus nullus est, tantum in actu primo seu potentialiter latet, in maturiori ætate prius se exerit, in senibus ultimæ ætatis nullus vel exiguus est, nam senex bis puer est.

Qui judicium quærit, in infantis cerebro, judicio is caret ipse suo; judicare enim extra sphæram activitatis hujus primæ æstatis est, pariter judicium in senibus depontanis debile & exiguum est.

Discursus philosophicè sumptus seu illatio unius ex alio homini maturo competit, non infanti nec seni ob labilem memoriam & defectum formandæ illationis unius ex alio. Nec discursus impropriè & pro loquela sumptus aptus utrique est, nam ut indies experimur, infantes lallant, balbutiuntque senes.

Memoria in ætatibus istis infirma est ob nimium phlegma & humidum, quo omnes repræsentationes exterius allatæ diluuntur, facilè obliviscitur ætas prima, quia cum in ea cerebri substantia sit admodum mollis, impressæ in ea ob objectis species levi negotio obliterantur; item defectu attentionis, quam solis objectis præsentibus totam adhibet, nec multum movetur à prægressis perceptionibus.

Voluntatem quod concernit, infans atque senex quod vident, volunt; iisdem unum velle & nolle est.

Phantasia apud utrosque hetroclita & turbata est, infantes talia sæpe sibi imprimunt. quæ objectis vel maximè sunt deformia, eadem vexat censura senectam, quæ facile, ut pueri, terretur, timida est, omnia tuta timet.

Sensus communis, seu illa pars sensationis activa, quæ species à sensoriis externis per spiritus exceptas apprehendit, & cognoscit, in utrisque rudis est, ad quem sensum communem velut ad punctum lineæ, sic omnium sensuum spe-

cies

cies referuntur, sedesque hujus sensus est centrum *Vieusan- sio* ovale dictum, quo succus nervosus idearum vehiculum per fibras nerveas defertur ab organis, quæ cum in utrisque malè disposita sint, sequitur, quòd non tam fideliter, ac decet, ab organis assumantur, & ad sensorium commune referantur.

§. V.

Anologia quo ad sensus externos.

Sensus externi satellites sunt & excubitores sensûs interni, sine quibus tota æconomia sensûs interni turbata & destructa foret; Sensus externi sunt quinque, duo necessitatis gustus & tactus, tres commoditatis visus & auditus, ut & odoratus: licet à quibusdam unicus tantùm sensus assignetur, tactus nempe, ast, quamvis omnes sensus tactu fiant, tactus tamen specificus sensus est. Sensuum princeps visus in infante habet se tantum inchoativè, oculique adhuc profundè latentes nec dum tam sereni sunt, qui claré videant; potius cum oculi adhuc imbecilles, claros solis radios intueri nequeunt, lucemque reformidant, proinde necesse est, ut neonati ab incidentis nimiæ lucis splendore umbraculis defendantur. Sic quia acies oculorum in senibus hebescit, idcirco caligantes oculi indigent politi crystalli auxilio, & vix quatuor oculis tantum cernunt, quantum vel unicus in alia ætate oculus potest discernere. Ratione gustûs infantes non discriminant sapores inter & sapores, sed quidquid eorum ori ingeritur, vel illinitur, sapere debet; in senibus si non omnimoda amissio, saltem manifesta est læsio gustûs. Quo ad auditum, in parvulis tympanum, auditûs organum nimis molle & laxum est, & ad recipiendas toni vel soni species ineptum, quia atonum, nec satis expansum; sic quoque decrepitus, morti capuloque vicinus duriter audit, surdascunt aures, quia in utraque aure duo tympana langvent. In odoratu utrique ætati papillulæ odorem recipientes hebetes sunt, muco sordido obductæ & incrustatæ sunt, & turpis

turpis ab immundo dependet ſtiria naſo. Tactus ſenum inſenſibilis & infantum impalpabilis eſt, ſeu muſcæ & culices verendis ſenum canis inſideant, dum ultima vivitur ætas, ſeu in cunis involuto nudo capiti infigant aculeos, dum prima vivitur ætas, nil infans ſentit, nil ſentit & ipſe ſenex.

§. VI.

Analogia quo ad actiones vitales & animales infantum & ſenum.

Actiones vitales quod concernit, tenella ætas ſubſidii & ſolatii indiga in ipſo vitæ exordio gemitu & licentioſo ploratu poſcit opem, ſeu principe natus ſit, ſeu ruſtica proles; nam regia puniceo ſoboles lacrymatur in oſtro, ſive ruſtica progenies ſtramine fulta gemat. Senex jam peculio Proſerpinæ annumerandus expectat benevolam manum, quæ auxiliatricem porrigat opem. Reſpirationis opus in infante tenue eſt, ſicuti in decrepita ætate maximo annorum pondere incurvantur humeri, languidus in pulmone vitæ vapor vix ægre reciprocat, continua tuſſi agitantur bronchia, & clangoſum aſthma fiſtulat, & varia eclegmata pro emolliendo phlegmate laborioſe implorat. Infans non progreditur, ſed innixus & pedibus manibusque repit inſtar quadrupedum, ſenex tripes ut quadrupes infans, ſenex ad mortem properat citius, cum tardius ire nixa ſuo baculo pigra ſenecta ſolet, in frigore hyemantis ſenectæ ſanguis friget, vires deficiunt, & pedes corporis baſes vacillant. Sicut infantis infirmitas faſciis involvitur, rotatur in cunis, & garrula mater eam lallare & pappare docet, ſic creſcentibus annis dum aurea hora ſeu prima effloreſcentis pueritiæ aurora exſurgit, pueri trochos agitant, vel equitant in arundine longa, verbo puerilia tractant, quod & nos feciſſe conſtabit, ſi primæ ætatis noſtræ annales inſpicerentur. Pariter depontanus ſenex nihil plus ſapit, quam bis puer in puerilibus ludere, & voce trementia labra balbutire. Uti infans maſticationis negotio caret defectu dentium, ita inermis gin-

giva

giva ſenum ſuos molares deſiderat; & ſicut, poſtquam neonatum vitæ candidatum albo viventium inſcripſit, & expandit ulnas Lucina, puſiones premunt infantilibus ubera palmis, ſugunt, quas charis dat, papillas, lac niveum purpureis deglutiunt labellis, ſic pariter ſenex ab alio homine potuque ciboque nutritur, non ipſe potis eſt impotens ſenecio, qui propriis manibus ſibi fercula ciboſque ſubminiſtret. Homo infans nudus, inermis, ſolo ſe vagitu defendens in hanc miſeriarum palæſtram utero novimeſtri carcere ejicitur, ſenex jam ipſa canitie mortis candidatus ex hac palæſtra fractus & imbellis iterum communis & univerſalis matris gremio committitur.

QUÆSTIO.

Cur in quibusdam læta ſenectus, in quibusdam moroſa & tetrica?

Quæſtio vergit eò, cur quidam ſenes absque ſenio vivant, hoc eſt immunes & liberi ab omnibus moleſtiis & affectibus ætati ſenili propriis & familiaribus? Cui reſpondet Romani pater eloquii *M. Tullius:* nihil, inquit, ſenectâ jucundius ſi ſtudiis literisque juventus ſtipata ſit, eodem ſtylo propoſitam quæſtionem ſolvit *Poëta*, qui cuidam interroganti, cur tibi tam levis eſt, cur tam jucunda ſenectus, repoſuit, libera quod vitiis noſtra juventa fuit. In ætate media, ait *Sennertus l. 4. part. 2. cap. 4. pag. 812.* in cibo & potu laboribus atque aliis maximi errores committi ſolent, & plurimi ſibi crapulâ & laboribus immodicis animique affectibus nimiis, & ſimilibus mortem accelerant, vel certe moleſtam & difficilem ſenectutem accerſunt, errata enim hujus ætatis ſenectus poſtea luit. Senes elumbes ſunt, moroſi ſunt, ſi primos vitæ annos dedicârint *Baccho*, *Cereri*, turpique *Voluptæ*, qui cum *Horatio Lib. 2. Ode* 14 cecinêre, heu heu fugaces poſthume poſthume labuntur anni, hinc ergo cum *Ovidio* concludunt, utendum eſt

 æta-

ætate, cito pede labitur ætas, ubi molles effœminatâ vitâ fregerunt vires, infecerunt ſanguinem, inquinârunt humores; ubi in adoleſcentibus annis adulta vitia, florens audacia, in tenerâ ætate annoſa ſcelera, in ſeneſcente vitâ fracta erit virium ſubſtantia; ubi pueritiæ ad primos rationis radios deperdit teneras innocentiæ nives, ibi depontana calvities langueſcet; quorum primæ ætatis annales implent flagitia, annoſa ætas torpeſcet; ubi prima pudoris purpura ſceleris contaminata fuit, anni prætextati fragiles, ſeniles labiles erunt; ubi effrænata juventus laſcivit; his, ubi jam venit paulo maturior ætas, ſicci & exſucci ſunt, curva graviſque ſenecta erit, membra languida & fracta erunt. Qui verò muſis à teneris commiſſi in bonarum artium ſtudio, & moralium virtutum ſtadio decurrerunt juvenes & diætam ætati congruam exegerunt adoleſcentes, illi utique ultimam ætatem in alacritate & animi libertate concludunt ſeneciones; queis in prima juventa fragiles ſolidantur laboribus artus, illos etiam ſenes in ferream congelatos duritiem crederes, ab aliis etiam in ſenio abeſt, ut frigeant in hyeme, ſed ipſum etiam frigus & glacialem *Boream* pleno ſinu excipiunt & calefaciunt, ita maſculus illis fervet adhuc circa præcordia ſanguis, ita ut alios filentio involvam, *Nicolaus Leonicenus* Medicus licet anno ætatis ſuæ trigeſimo apoplecticus, annum agens nonageſimum ſextum firmi corporis erat, ſine ſpecularibus legebat, centum & ſex annos vivebat, huic jure non immerito acclamari potuit: vive, cui jam ſtant Cygneæ vertice plumæ, vivito verne ſenex.

§. VII.

Ex primo ventre Morbi primæ ætatis & ultimæ conſymboliſantes.

Certum & indubitatum eſt, dari morbos ætatum ita dictos, eò quod partim natura ipſa ratione propriæ conſtitu-

tio-

tionis materiam illis affectibus generandis præbeat, partim quòd conditiones singularum ætatum variæ ad motum materiæ generatæ contribuant. Vix ac infans uteri claustra effregit, eum velut navim è portu solutam ingens morborum vorago quasi undæ procellosæ subito solet obruere. Sic quælibet ætas speciales patitur manes, alios ætas infantilis, alias infirmitates experitur florida juventus, aliis malis obruitur frons rugosa senectæ. Cum vero tales ætatum morbi dependeant à diverso humorum statu & motu non quidem circulatorio, qui ubique similis, sed ratione materiæ dissimilis & hic in varia ætate varius sit, sequitur mutatâ ætate etiam mutari dispositiones ad certos morbos. Imo communiter morbi dividuntur in tres partes & tres ætates, ita ut doceatur, morbis capitis plus laborare infantes & pueros, pectoris affectibus adolescentes & juvenes, abdomine viros & senes, vitiis artuum & partium extremarum senes decrepitos; si tamen nosocomia lustremus infantum atque senum in utrisque magna quo ad statum morbosum parallela invenitur, licet aliæ ætates absolute ab iis non sint privilegiatæ & immunes. Hic morbos primæ infantis secundum tres ventres seu notabiliores corporis cavitates, caput tanquam cavitatem supreman, thoracem mediam, abdomen infimam cavitatem adducam.

Epilepsia utplurimum morbus infantilis est ob molliorem fibrarum nervearum texturam in tenellis, facileque in motus convulsivos mobilem & crispabilem, & idcirco dicitur morbus puerilis vel infantilis παιδίων πάθος vel παιδικὸν πάθημα ἀπὸ τοῦ παιδός; unde Avicenna vocat matrem puerorum, rectius novercam dixisset: germ. die fallende Sucht, daß schwere Gebrechen, das böse Wesen, die schwere Plag, licet sacer morbus quasi magnus morbus, ut auri sacra fames pro magna fame, & licet herculeus etiam dicatur morbus, ab infantibus tamen superandus est in cunis; fit autem hæc commiseratione digna partium corporis motricium convulsio seu epilepsia, quando originarie ex ventre supremo ceu arce capitolinâ fulminis instar spiritus animales ex variis causis irri-

tati momentaneo impetu in genus nervosum fibrosum & musculosum irregulariter exploduntur; causa hujus motus convulsivi plerumque participat de acido vaporoso volatili nervis inimico, quod etiam confirmatur ex cura, cum experientia doceat, malum hoc per alcalia, terrea, acidum præcipitantia curari, vel saltem mitigari; quamvis ætas tenella à levioribus etiam causis v. gr. dentitione, terrore & similibus hoc affectu frequenter tentetur, præsertim in dentitione difficili, dum massa sangvinea quasi critice movetur, & gingivæ perforantur, dolor adest intensissimus, membranæ seniles ab acutis dentibus punguntur, spiritus animales ad hostis propulsationem extraordinarie impelluntur. De hoc incidenter miror, quod his in terris frequentissime vix plebi os referetur quo non simul indignabunda in hæc verba imprecatoria erumpat, daß du schwere Noth hättest, cum teterrimus sit affectus, & in hoc affectu miserrimus aspectus. Et licet ætas prima non semper vexetur motu epileptico, patitur tamen sæpe pavores nocturnos atque diurnos, quod dicimus das Auffahren der Kinder, fierique solet à ferè explosivo spirituum animalium impetu in nervos, ex quo motu infantes subsiliunt in somno, & fit concussio totius corpusculi ob motum momentaneum contractivum fibrillarum nervearum, qui pavores plerumque sunt prodromi epilepsiæ. Jam ad valetudinarium senum transeamus. Cous dictatur quidem morbos seniles aliquos sed non omnes compendiose conclusit *in aph. 31. Sect. 3.* ubi ait: *Senibus autem difficultates spirandi, catarrhi tussiculosi, urinarum stillicidia, difficultates mingendi, articulorum dolores, nephritides, tenebricosæ vertigines, apoplexiæ, cachexia totius corporis stimulantes pruritus, vigiliæ, alvi oculorum & narium excrementa, visus hebetudines, glaucedines, auditus graves* & quæ sexcenta alia sunt. De senectute ait sapientissimus *Seneca:* Infantiæ, pueritiæ, juventuti sua sunt mala, sed senectuti plurima gravissima, imo senectus ipsa est morbus, uti dicit *Terent. in Pho.* ita fere ut à vertice capitis usque ad plantam pedis non sit in senibus sanitas. Hinc est quod *Salomon* subtilissimus naturæ consultus in *Ecclesiaste* suo

in una serie enumeret senum affectus *cap. 12.* nos aliquos hic tangamus.

Quod primo ætati epilepsia, hoc ultimæ apoplexia est, uterque affectus utrique periculosissimus; in ultimo uti sole eclipsato macrocosmico tenebræ super orbem universum diffunduntur, ita ubi cerebrum sol microcosmicus eclipsin passum est, nulli spirituum radii emanant in inferiora non sine exitio totius. Morbus hic attonitus, quem *Avenzoar* silentium dicit, ob subitaneam functionum principalium, motus & sensus nempe cessationem & aphoniam Germanicè der Schlag, die Hand GOttes, est repentina omnium operationum animalium hoc est sensus & motus privatio ex defectu vel interceptione Spirituum in motu progressivo impeditorum, ætati senili maximè propria esse videtur, quia in provectiori ætate ob collectam cacochymiam pituitosam præternaturalis cerebri diathesis seu singularis dyscrasia est, unde facilè sequitur obstructio nervosi generis, hinc in senibus apoplexia non sangvinea sed serosa seu pituitosa ob humorem phlegmaticum in hac ætate exundantem dicenda est; infarctus pituitæ occludit principium nervorum; ad hunc affectum producendum etiam concurrere possunt naturalis debilitas, somnolentia & spirituum penuria; sic analogismus reperitur inter duas illas ætates quo ad spiritus irregulariter motos.

§. VIII.

Ulteriores primæ cavitatis affectus ætatibus illis analogi adducuntur.

Infantes, puerique simul varios patiuntur catarrhos; temperamentum, quo gaudent, frigidum & humidum fons est, ex quo tantùm non omnes infantiles morbosæ ærumnæ largiter scaturiunt. Pueri ob luxuriantem cerebri humiditatem partiumque nec dum confirmatarum robur, tonum laxiorem maximè læsionibus auditus obnoxii sunt, hinc illis caput, auresque fluere solent. Senes quoque propter excre-

mentorum pituitoſorum abundantiam variis catarrhis etiam ſuffocativis ſubito obruuntur, & propter ſpirituum inopiam vel torporem, longumque inſtrumentorum uſum variorum ſenſuum debilitatem vel omnimodam jacturam patiuntur. Quantum infantes tententūr ſomno, in aprico eſt; cujus cauſa maximè referenda in humidam infantum temperiem, ut inde quieſcant & ferias faciant ſpiritus, idque probatur à contrario: uti immunes nube ſoporis ſunt oculi, quando ad motum continuò incitantur ſpiritus animales, v. g. per voces ſtentoris, tubarum clangores, tonitruorum fragores, tympanorum boatus, cutis titillationes, pilorum vellicationes, corporis concusſiones, & ſpirituoſos fragrantesque odores: ſed cum infantes ex nutricum cantilenis, adulti ſuavi muſicorum inſtrumentorum concentu, pluviarum cadentium ſtrepitu, leniter flantium ventorum ſuſurro, aquarum labentium murmure levioribus cutis frictionibus, aliisque lenociniis ad placidum, ſomnum invitantur fit hæc inductio ſomni in dormiturientibus ſubjectis, dum enim ſpiritus ad reliqua organa non influunt, quieti ſunt illi, qui occupant commune ſenſorium, quia autem ſimul phantaſia unico illi objecto, quod ab extra recipit, attentè nimis inhæret, efficitur, ut ejus quod adhuc extra nos eſt, nulla amplius in organo perceptio fiat, hocque pariter obtorpeſcat: Si vero alia accedant v. g. tumultus, fricatio, illico ſpiritus à quiete evigilabunt. Unde etiam fit, ut crocus narcoſi ſuâ ſpiritus ita diſponat, & alliget, ut de motu remittentes quietem facilius capeſſant; major ſpirituum torpor à frigido & humido eſt, quam calido & fervido, qui concitatiorum ſpirituum motum inducunt, hinc cacochymici & pituitoſi cholericis ſomnolentiores, quam ob cauſam ſomnolentia etiam veternoſa una cum inſigni virium torpore convenit ſenili ætati, quæ temperies quoque humida in prima & ultima ætate cauſat oculorum & narium fluxus, ſordidasque deſtillationes, lemas in palpebris coagulatas, mucumque ductilem, qui per nares ambas qua data porta fluit, vel ex adunco dependet guttula naſo. Huic humido fonti debent ſuam originem viſus hebetudines, glau-

cedi-

cedines, & auditus gravedines nec non aurium humiditates,

§. IX.

Morbi ex medio ventre utrique ætati familiares.

Cum infantes serosioris sint naturæ, catarrhi non tantum eorum capita infestant, sed pectora subinde molestant, partesque thoracis exasperant, imò quandoque tussibus convulsivis infantum bronchia concutiuntur; Quid communius tussi senibus? ob humorosam serosamque exundantiam continuà illis agitantur bronchia tussi, inde respirant difficiliùs, anhelant arctius, & ob asthma pituitosum suffocantur frequentiùs, vel aërem animamque trahunt miseriùs; cujus spirandi difficultatis quoque meminit *Hippocrates* & si qui morbi ad mortem usque comitentur senes, cerebri anhelitus sunt cum tussicula. Quoties infantes tentantur passione cardiacâ quam dicunt das Hertzgespann, wenn die Kinder angewachsen seynd, non quod verè membranæ aliis partibus adnascantur, quod in credibile, aliàs non tam facilè, ut illi opinantur, linimentis ab illa accretione liberarentur, sed quod à flatulentiis partes distensæ ita thoracem impleant, ut possint vix respirare misellì multo minus appositas ori mamillas defectu respirationis exsugere. Hoc malum non tantum affligit tenellos pusiones, sed & provectioris vitæ seneciones, in quibus ob debilem ventriculi digestionem tota agmina ventorum suam potentiam exserunt in arctam senilis pectoris concamerationem, ut & abdominis & præcordiorum tumor tensivus à flatibus præsertim rarefactis presso pede insequatur; unde anxietates cardialgicæ, dolores tensivo punctorii & respiratio anhelosa.

§. X.

Morbi abdominis utpote infimi ventris in senibus parallelicè correspondent in infantibus.

Lac in nimia copia exsuctum morâ suâ in debili parvulorum

lorum ventriculo acorem concipit, & præcipua causa simul est morborum infantilium, tormina enim & erosiones in intestinis maximè in colo efficit, unde alvi adstrictiones spasmodico epilepticæ; acidi illius signum sunt fæces viridis coloris, qui ex bilis & acidi mixtura enascitur, ulterius acor inde probatur, quod talia pusionum excrementa, nates rubefaciant, inflamment & excorient, conclavia nidore acetoso compleant, lintea corrodant, ut quasi à spiritu corrosivo imbuta levi attritu inter manus concerpantur. Ex hoc fundamento plerique recentiorum deducunt, cur ætas infantilis ad crustam lacteam, achores capitis, fluxiones oculorum & aurium sit proclivis: nam acidum ex chylo in sanguinem delatum lympham coagulat, eam salsedine inficit, glandulas obstipat, transpirationem impedit, & prædicta aliaque innumera symptomata inducit. Quid quod post iram nutricis vel propriam ex irritatione introductam, vel lac in excessivâ quantitate infarctum rursus evomat, & hoc amat contingere propter nimiam ventriculi expansionem, cujus impatiens natura impetuosa ventriculi contractione simul & semel excutit, quidquid molestum est, idque cum euphonia & bene habentia totius machinæ microcosmicæ, subinde etiam talem nauseam vomitumve provocant onerosæ insufficientis digestionis cruditates: Pariter res sese habet cum senibus, qui si ventriculum ex longo jam usu attritum & debilem supra debitam mensuram onerent, defectu necessariæ masticationis, & in ventriculo concoctionis, ilico male habent, & excessum luunt, nimium ingesta sed parum digesta coëunt in pastam acidam, & vapparn nidoroso flatulentam, quæ in intestina excurrens ea inflat, colicam flatulentam excitat, angustias cardialgicas & gravissimas anxietates una cum aspectu cadaveroso, pallore vultus emarcido, profundis oculis, contractis naribus, frigidis sudoribus, animi etiam deliquio producit. Teredo seu Pædarthrocace vel spina ventosa caries illa ossium est, quæ maxime pueros affligit, & circa articulos cum dolore obscuro, tandem apparente articuli tumore se manifestat; oritur hoc

infan-

infantile malum à materia acri dissolvente & corrodente, & quidem in pueris ob tenellam ac distorsioni aptissimam ossium constitutionem. Quid aliud videmus in senibus, quam ob spinalis medullæ exarescentiam totius corporis incurvaturam, & quibus in alia ætate os sublime datum est, cœlosque videre, nunc oculis terræ affixis & corpore curvo prima originis vestigia quærunt. Quam multi infantes cum ordinario naturæ cursu deberent excrescere in omnem dimensionem, ob denegatam nutritionem à venis mesaraicis aliisque vasibus obstructis exarescunt in atrophiam, corpuscula quidem distenduntur, sed ob concurrentem pædatrocacicam contabescentiam in gibbos incurvantur; quid senescere nisi siccescere contabescere & in marasmum exarescere, in decrepitis senibus marasmus proprius est, est autem μαρασμὸς illa suprema senum contabescentia, seu lenta totius corporis emaciatio orta à febri continua lenta & benigna sine ulla manifestâ cujusdam visceris interni morbosa diathesi in qua vix ossibus hærent, utrasque genas arant mille rugæ, manus rigescunt, pedes collisi crepant, capilli defluunt, mortuali pallore albicat facies hippocratica. Quo ad excretiones naturales, infantibus ob laxos adhuc ani vesicæque sphincteres in incontinentia urinæ lotium absque mora remoraque fluit, & præter propriam culpam inscii fæcibus ipsis quævis contaminant; quæ ætas præter infantilem tam propriam habet urinæ incontinentiam? quam depontana senectus, sub qua lecti etiam & grabati computrescunt, cujus effluxus origo & unicus fons est debilitas musculi constrictoris verbo atonia & flaccescentia sphincteris.

§. LXIX.

Affectus externi & cutanei primæ & postremæ ætati ferè communes sunt.

Infantes ob abundantiam noxiorum humorum corripiuntur faciei achoribus & ichorosis ulceribus, vultûs ecchymomatibus, capita incrustantur tineâ, præsertim in succu-

lentis infantibus, frigido aëri objectis, ubi propter improvidam transpirationis oppresſionem materia excrementitia in motu critico excretorio impedita ſtagnat, ſtagnando acquirit acrimoniam poſtmodum in ſanioſam & puſtuloſam protuberantiam ſeſe elevatura; ob copioſas itidem humiditates motu ob varias cauſas in- & externas auctiori expulſas varii morbi reſultant, aures parvulorum madent ſordido ulcere, os & fauces exulcerantur aphthis, colla attolluntur tumoribus parotidum, variis oculorum nariumque defluxionibus debilitantur, oris ulcuſcula ob facium mollitiem, & lactis quandoque acrimoniam oriuntur ſuperficialiter, quæ oris conſtrictionem & lactis ſuctionem impediunt, imo a languida & diuturniori tranſpirationis imminutione, cutis exaſperatur in ſcabiem, & tota ſubinde corporis peripheria ſcabratur in intertriginem, ſeu cuticulæ tenerrimæ excoriationem, ſquamulas & furfures, vel partes hinc inde efflorescunt in roſeolas ſaltentes, quin & furunculi variis in partibus erumpunt ob lymphæ laticem nimio acore, & lenta viſcedine coinquinatum cum intenſiori rubore & ardore, qui nunc in purulentam nunc in ſanioſam materiam vel ſimile quoddam liquamen abeunt poſt factam lymphæ peccantis metaſtaſin. Quo ad externum corporis habitum, in ſenibus experientia confirmat, eos frequentiſſime laborare manantibus cruribus, & aliis fluentibus cutis affectibus, ichoroſis ulceribus, impetigine & ſerpigine, ſcabie exulceratâ, & rodente totius corporis pruritu, quæ ſæpe in lepræformem ſcabritiem facesſit, & in ſquamuloſas puſtulas degenerat, quæ omnia cauſam materialem ſanguinis impuritatem agnoſcunt vel ſerum excrementitium, vel male digeſta alimenta nutritioni laudabili inepta, & in magma ſalſum & muriaticum abeuntia; unde frictio, pruritus, ſcabies, converſa, vel recenſiti affectus dependent à cutis denſitate, pororum anguſtorum conſtipatione, unde cum non posſit cum fuliginibus & halitibus ſerum evacuari, acquirit neceſſariò quandam ſalſuginem & putrilaginem, & hæc, cum fruſtra ob cutis denſitatem laborante & tentante exitum naturâ remaneat, tales pruritus ſuâ acri

ſal-

falsedine arietat. Denique tonus extremarum partium in utraque ætate ob caloris naturalis imminutionem, & necessarii vigoris decrementum totus languescit. Quo ad molendinam microcosmicam, caret dentibus infans, qui quoque gingivas deseruere senum, ambo sunt edentuli. Denique calvitiem & canitiem attingamus infantumque senumque, senibus defluxêre capilli, & uti se habet defrondatio arborum, depennatio volucrum, desquamatio piscium, ita depilatio hominum ubique ex defectu materiæ, hinc resinosæ arbores, pinus abies & laurus non amittunt folia ob materiam circa tempora hyemis, sic in senio ob materiæ defectum pili excidunt & alopecia senilis inducit calvitiem; infantes in primo suæ vitæ exordio plerumque calvi sunt tum ex succi capillaris penuriâ, tum cerebro adhucdum frigidiori. Cum verò canities vel ex pituitæ abundantia, vel ex terroris vehementia oriri passim judicatur, hinc senescere canescere est, quia in his pituita maxime abundat, sed infantes supplent primâ lanugine canos.

§. XII.

Causa analogismi in utraque ætate, infantili & senili.

Inquirenda est in temperamento analogicè simili. Temperamenta ex varia fluidarum partium miscelâ & combinatione resultant, & quatuor cardinalia passim statuuntur, sangvineum veteribus dictum calidum & humidum, secundum cholericum seu biliosum, quod veteres nominabant calidum & siccum, tertium melancholicum aliàs frigidum & siccum, nunc acidum doctoribus audit, quartum phlegmaticum seu pituitosum olim frigidum & humidum; juxta hæc recensita temperamenta dicitur homo successivè crescere, & ad certum tempus accrescere, vix tamen propter temperamentum sæpius mutari solitum solidè sic persistere, sed successivè rursus decrescere, senescere, & demum per mortem evanescere. Tam diu durat vitæ vigor, quamdiu calidum & humidum in æqui-

librio & decente proportione consistit, quantum à calido & humido receditur, tantum ad mortem acceditur, hinc ad senectutem quæ frigida & sicca est, accedere, est ad mortem properare: humidum est id quod patitur, calidum quod agit & consumit; ubi verò agens & patiens debitè hoc est in pondere & mensura unitur, necessariò sequitur actio benè disposita, hæc actio subinde alteratur & immutatur, pro ut humidum caloris pabulum immutatur; sed notandum venit, actionem non tantum immutari ab humido tanquam partibus corporis fluidis, sed etiam solidis, nimia enim per continuos motus introducta partium rigiditas motui vitali actionibusque aliis remoram ponit, uti contra nimia partium flacciditas debilitas seu atonia difficultatem objicit, quo minus actio fiat, ut debuit fieri; hoc clarissimè patet in actionibus robusti viri, debilisve senis, ubi notabilis imminuta elasticitas & deficiens agentis energia. Talis actionum similitudo vel etiam mutatio videtur in qualibet ætate ob speciale, quo gaudet, temperamentum, Nam quælibet ætas habet suum temperamentum, quod successu temporis immutatur. Ætas infantilis & senilis phlegmatici temperamenti est scilicet frigidi & humidi tum actualiter tum potentialiter, pituita enim non tantum actu frigida est & humida, sed etiam humores, quibus permiscetur, refrigerat, & quam habent calefaciendi virtutem, obtundit, accedit, quod bilis, quæ præcipuum caliditatis principium est pauca generetur in senibus, qui idcirco melius famem tolerare possunt juvenibus ob defectum caloris; hinc infantilis ætas ad avertendam aëris frigidioris inclementiam involvitur fasciis, benè tegitur stragulis, munitur palliis, sic pariter frigefacta senectus, ad arcendam frigoris vehementiam, & semiextinctum calorem nativum assidet foro, inflat prunas, manibus pedibusque complectitur fornaces, vestitur pellibus, & sic rejuvenescit ab ignibus. Infans ob humidum superfluum tentatur defluxionibus, sunt plenæ sordibus aures, & fluit ex patulis naribus ipse mucus. Senex nil nisi catarrhos crepat, hinc rheuma, coryza, tussis, & omnes affectus humorosi. Infantes ob hu-

midum

midum somno obnoxii sunt, ita senes somnolenti sunt, tardi & minus agiles sunt. In depontanis mutatur temperamentum phlegmaticum in melancholicum, ubi demum deficiente humido siccescunt, & marasmo corripiuntur. Siccitas autem illa maximè se tenet respectu partium solidarum quæ obrigescunt tum ratione toni, tum vitio materiæ ad motum necessariæ, tum vitio moventis, licet enim materia sit apta ad actiones, si tamen spiritus illam materiam movere, agitare & expandere debentes, debiles sint & inertes, motus & actiones similes sunt.

§. XIII.

Cura morborum infantilium & senilium parallela est.

In genere quidem medico practico regula lesbia simul esse solet ætas, cujus intuitu medicamenta in formulis ordinanda, dosis augenda vel minuenda, temperanda vel exasperanda: maximè verò in ætate infantili & senili cautus sit medicus, ne quid nimis, facile peccari potest in utraque hac ætate debili, utraque ætas pari passu ambulat, & una decempeda mensuranda, seu corpus evacuandum seu alterandum: ubi alias ætates Herculeis medicamentis aggredi licet, has semper lenibus tantum tentare licebit, his dulce manna solvimus in jusculis, & folia sennæ coquimus cum passulis vel purgans alteransve præscribimus in syrupis & julapiis, ubi alias juvenesque virosque arietamus resinis, sedesque movemus mercurialibus & drasticis purgantibus. Item lenioribus diapnoicis oportet sudorem elicere in infantibus & depontanis, ubi fortioribus agendum cum viris & robustis adolescentibus: diuresin in parvulis provocamus levioribus diureticis nitrosis, oculis cancri matre perlarum cum aquis saxifragiæ, petroselini & syrupo fragorum, dialtheæ Fernelii &c. ubi alius ætatis personis propinamus spiritus & olea.

Quo ad particulares affectus supra recensitos, in epilepsia sacra anchora est decantatus *Pulv. Marchb. Pulv. ceph. Mich, it, ungul. alc. ppta cran. hum. pptum, usnea cran, hum. ♀r.*

 lyco.

lycopod. ceu summum epilepticum puerile ad ℈ß dandum ⊕li anod. Cram. item ♀ea farina in julis coryli primo vere reperibilis, & viscus corylinus nobile euporiston. ♄ nal. & ♄ij. ▽ ceras. n. fl. til. pæon. fl. papar. errat. ex compositis liquor C. C. succinat. crebriori experientia ad pueriles affectus epilepticos comprobatur. Externè abdomini cordisque scrobiculo balsamum succini ceu optimum euporiston est inungendum. Eisdem remediis pavores & subsultus epilepsiæ prodromi aufferuntur vel mitigantur.

Apoplexiæ senili opponuntur spirituum torporem reficientia, & excitantia *v. g. externè balsam. apopl.* ♎ *★ci naribus applicandus, frixiones* cum sale tosto in plantis pedum instituendæ. Sed internè conducunt ▽ *apopl. vit. Matth. meliss. rorismar. salv.* ♎ *★ci sucunant.* ♎ *vol.* ☍*s. sylv. C. C. liq. C. C. succinat. TR. castor. Ess. ror. mar. specific. ceph. Mich. pulv. March. Succin. ppt. &c.*

In infantum affectibus catarrhalibus meritò primum locum meretur *liquor. C. C. succinat.* ♄*. diaph. s & ♂rum bez. min. TR.* ♄*ii.* ♁ *nat. &* ♄*.* quæ cum in conveniente dosi & vehiculo v. g. ▽*. fl. samb. acac. card. b. &c.* propinentur, resolvent humoris excrementitii, serosi & pituitosi in quacunque corporis parte præprimis circa caput collectionem & stagnationem in ætate senili & infantili.

Quodsi utramque ætatem tussis molestet, pectusque obstruendo asthma causet pituita, maxime commendatur polychrestum illud resolutivum *sperma ceti* in vehiculo calido propinatum; *syr. de Erysim. Fernel. de hyssop. de scyll. de fænic. c.* ▽*. fænic. hyssop. fl. acac. looh. san. & expert it. decoctum raparum & passular. cum saccharo it. looh. san. & expert. ad asth. de pulm. vulp. de passul.* quæ omnia pituitam viscidam incidunt atque resolvunt, in tussi vero convulsivâ præter becchica & pectoralia in quacunque forma præparata conveniunt antepileptica & nervina præprimis ♁*ina & castorina & opiata* in dosi circumspectâ.

Flatulentiæ in senibus & infantibus, unde varii morbi, optimè tolluntur carminativis. Sic in hypochondriorum inflatione & tympanitica abdominis distensione praxis docet

optimè

optime convenire omnia ex aniso præparata, v. g. *anisum simplex & stellatum, elæosacchar anisi, ♌★ci anisat. fæniculat. 🜔. anis. fænic. ▽. fænic. it. ☉. fulmin. gr. 1. cum ⊕. depurat. vel ♄iati gran. iij. ut & pulv. seq.* in torminibus infantum non satis deprædicandus. ℞. *pulv. rad. irid. fl. ocu. ♋. ppt. Elæosacch. anis. ana* ℈ß. ♁. *nat. gr. vj.* ♀*r.* ⊕*li anod. gr. iß. M. F. pulv. dos.* Kinder-Pülverlein wovon iedesmahl einer Erbes groß. externe utrique ætati succurritur clystere & seq. linim. ℞. *ungt. dialth.* ♂*ti ana* ʒiij. 🜔 *cham. aneth. ana* ʒij. *carvi cumin. menth. ana destil.* ℈ß. *M. F. linim. D. S.* Sälblein. Atrophia infantum lentæque febres tolluntur aperientibus obstructa vasa mesaraica deobstruentibus & reserantibus, ut debitæ nutritionis negotium melius peragatur & absolvatur, quod optime præstant volatilia ♌. *aperit. Penoti. vol.* 🜔*s. sylv. TR.* ♂. *aperit. TR* ⊕*li* ♂. ♀*isata* ♄. *diaph. s.* & ♂.in atrophia infantum ubi plerumque concurrere solet inflatio abdominis, sequente linimento infantum abdomen inungunt. ℞. *ungt. d. arthanit. dialthæ* ♂*ti ana* ʒiij. 🜔 *phil.* ʒ*iß. M. D. S.* Sälblein: si verò atrophia pro causis agnoscat transpirationem læsam, ventriculum debiliorem, acorem vitiosum, quæ massam sanguineam & chylosum nutrimentum corrumpit, illudque viscosum reddit, sive etiam crinones seu comedones vivum excrementi genus die Mitesser, ad hos affectus curatio dirigenda est. *Pulvis* alias *antatrophus secretæ* laudatur, cujus hæc est compositio ℞. *sacch. cand. alb.* ℥*iv.* ⊖. *vol fulig.* ʒ*j. rad. irid. fl.* ℥*ß. aron. diaph.* ♂. & ♃*vial. ocu.* ♋. *ppt. ana* ʒ*ij. M. F. pul. dos. ana* ℈*ß. ad* ʒ*ß. vel alius Zw. TR. spod. ex ebore pp.* ℈*ij. specific. stomach. Pot. rad. irid. fl. ana* ʒß. *rad. mech. corallin ppt. fol. trichoman. sem. plantag. ana* ℈*j. anisi* ℈ß *sacch.* ʒ*iij. M. F. pulv. dos.* ℈*ß. vel* ℈*j.* vel alias specificum ℞. *chalyb. pp. ocu.* ♋. *ppt. pulv. ari. irid. fl. ana* ℈*j.* ♀. ⊕*lat.* ʒß. ⊕ *ppt. gr. xv. spec. aromat. ros. diagal. ana* ℈*j. sacch.* ℥ß. *M. F. pulv. D. S.* Kinder-Pülverlein wovon des Tags viermahl, allemahl eine Messerspitz voll zu nehmen. in atrophia ev fascino laudibus extollunt sequentem tincturam ℞. *TR. corall.* ʒ*ij. ess. hyperic.* ♌. *secund. primipar. ana* ʒ*ß. misc.* si comedones culpantur vel alii vermes, laudantur diaphoretica transpirationem impeditam ad naturalem statum

tum reducentia, ut & *trochisci hermetici screta vel ▽. hermetica it. pulv. gentian. c. C. C. s.* △ & tantillum *myrrhæ* jurato lumbricorum hoste vel *TR. salutis* vel polychrestus *liquor C. C. succinat.* Exterius hos minorennes infantes balneant in ▽ dulci tepente, & inungunt superficiem cutaneam melle, tum capita vermiculorum nigricantia novecula amputant. it. regio umbilicalis inungitur *ungt. ex alcë hepat. cum felle tauri subacta & c. ☍ colocynth. acuatâ vel. seq. ℞. G. ★ci in ✛to solut. ℨij. tereb. aloës ana ℨj. sevi cerv. butyr. non saliti q. s. c. ☍. anis. & felle bovi. humectata.*

Marasmo senili succurritur medicamentis vel potius alimentis, quæ turgent particulis oleosis, pingvibus & spirituosis, simulque facilioris digestionis v. g. juscula confortativa Krafftsuppe, gelatinæ ova sorbilia, lac & lacticinia carnes succulentæ, oryza, crem. ptisan. amygdala, inprimis læsam digestionem juvat vinum bonæ notæ, quod ideo lac senum appellatur. Vomitus infantum à nimia repletione non nocet nec sistendus, potius leni laxante promovendus, sed ab atonia seu debilitate ortus, roborandus est ventriculus aliquot guttis *Elix. ppr. s. ✛do c. ⊖le ♀i ppt. vel. TR. salutis Langii, quæ fit. ex myrrh. c. ♎. ♀sato extracta vel succin.* cujus aliquot guttæ dantur *c. syr. menth. vel fænic.* si ab acido magmate ventriculi vomitus oritur, convenit *♎ ★ci aromatis. & ☍so liq. C. C. succinat. it. castoreum* acidi inimicum *ut & myrrha.* Exterius ventriculus inungatur *☍. menth. absynth. ana ℥ij. Nuc. Mosch. ℈j. vel ℞. empl. d. crusta pan. tacamah. ana q. s. malax. c. ☍. mast. D. S. vel* frustulum panis vino malvatico ebrium stomacho imponitur; hæc eadem senibus dantur sed in dosi paulo auctiori.

Incontinentia urinæ in utraque ætate sine paralysi sphincteris contingens requirit medicamenta adstringentia & nervina anodynis mixta, quibus fibræ roborantur, ipsarumque tonus restituitur, hinc inunctiones ex oleis nervinis & balsamicis spiritusque restaurantibus principio nervorum in lumbis & ossi sacro applicandæ.

Scabiei aliisque affectibus cutaneis ex impuritate sangvinis

nis & humorum ortis in ſenibus & infantibus medebuntur ſangvinem purificantia, acidum abſorbentia, ut & diaphoretica modiceque laxantia; qualia ſunt *Eſſ. lign. TR.* ♁*ij. Eſſ. fumer. cent. min fumar.* ▽. *fumar. card. b. chamæd. ſcabioſ. C. C. ſ.* △. ♁. *diaph.* ♁ ♁*ii nat. fl* ♀*ris acu.* ♋. *mat. perl. v. gt.* ℞. *Elix. ppr. ſ.* ♁*do. Eſſ card. b. ana* ʒj. *TR. anod.* ♁*ii ana* ʒß. *M. vel.* ℞. *ocu.* ♋. *ppt.* ʒij *flor.* ♀*ris* ♁. *diaph.* ♂*t. antihect. Poler. ana* ʒß. *M. F. pulv.* Exterius ad ſcabiem laudandum ſeq. limin. ℞. *ungt. d. ceruſſ. pomis. ana* ʒiij. *turpeth. min. ſacch.* ♄*ni ana* ʒß. ☍ *roſ. q. ſ. M. F. linim.* ad Achores tineam & cruſtam lacteam wider den Anſprang proſunt interne ♁*ialia &* ☿*ialia*, interne vero ☍ *taraxac. lil. alb roſ. verbaſc. hyperici. vel* ℞. *pulv. lap. calam.* ʒj *fl.* ♀*ris* ℈ij. *ceruſſ.* ʒiß. ⊖. ♀*i. gr. xii. M. F.* pulvis inſpergendus *it.* ℞. *fl.* ♀*ris immiſ. ungto albo c. pauxillo* ☍. *tabaci &* ⊖*is* ♀*ri* Puſtulæ tolluntur *linimento* ♄*turnino vel* ♀*co acidum* abſorbente addito modico ⊕*le* ♀*i. Panoroll* compoſit: *ex* ♀*e. axung. porcin. & ſucco limon.* quo illitus locus tineâ defædatus lotus & poſtmodum decocto malv. ablutus reſtitutus eſt.

QVÆSTIO.

An Operationes chirurgicæ apud ſenes & juvenes locum habeant?

Quo ad remedia heroica ex armamentario chirurgico in infantibus & ſenibus proſcribendæ ſunt cum lancettis venæſectiones, cum hirudinibus & cucurbiculis ſcarificationes, capitis trepanationes, per paracenteſin aquarum eductiones, aliæque altioris indaginis chirurgicæ operationes, non niſi robuſtis, vegetæque ætati applicandæ. Quis ſetacei martyrium actuale vel potentiale cauterium tam teneillæ vel provectæ ætati ſuadere audebit? quis conſultum dicet, infantibus poſſe ſecari venam, vel depontanis ſenecionibus, quibus curta ſupellex ſanguinis, ſpirituum ſummus defectus, vires debiles, temperies frigida; idcirco expreſſis verbis his vulgus etiam prohibet, ne ætati ſenili venæſectio fiat

cum communi paræmia dicat : man solle den alten Leuten lieber das Blut kauffen als benehmen. Aliis proin remediis huic labenti ætati succurrendum, & infantili medendum.

§. VIV.

Cura prophylactica utriusque ætatis consistit in diæta Analoga.

Ἐν τῇ γεροντικῇ hoc est parte medicinæ, quæ senum sanitati providet, cautela summma tenenda est, & cum senectus ipsa sit morbus, deberemus ipsam senectutem tollere, si morbum vellemus tollere juxta illud *Francisci Ranchini* : esse senectutem, res est certissima, morbum, quod si vis morbum tollere, tolle senem, sed simul est notum, vetusta & exesa ædificia sæpe crepare quidem, & quandoque tamen diutius stare, quod fit per diætam tali ætati congruam. Diæta cum sit legitimus usus sex rerum non naturalium, videndum nunc est, quomodo una diæta senum sit analogice conformis diætæ infantum. Quo ad aërem : vix amplius dantur *Amazones* vel *Lacænæ* matres, quæ infantes vix natos statim ab ortu duris assuefaciant, ferreo eoque frigore rigido imponant scuto, inculto deforment sago, sed modernæ ætatis matres aliter tractant primos vitæ candidatos, & bene, natura enim deficit, & alia tempora alios mores petunt; proinde inter tenellæ ætatis crepundia homunculi arcentur ab aëre brumæ, molli debent indormiscere cygno, ne aëris asperitate lædatur transpiratio ad varias fuligines corpore felicius expellendas; ita pellibus senex involvitur, ab aëris frigidioris inclementia defenditur, ne tussi, gravedine aliisque catarrhis obruatur, senile caput uritur prunis, incalescit à carbonibus, ut gliscentis adhuc calidi innati reliquiæ conserventur, & ne plane extingvantur. *Plinius l. 5. Ep. 6.* congruum senum infantumque aerem describit. *Semper aer sit calidior* (unde aprici senes est proverbium) *& aliquo moveatur spiritu, ita tamen, ut auras frequentius habeat, quam ventos; talis si sit, multos videas senes, avos,*

proa-

proavosque, jam juvenum audias fabulas veteres; sermonesque majorum, cum veneris illo, putes alio te seculo natum. Secundum Hippocratem senes optime degunt, de æstate & autumno calido. Dicit enim *Aph. 3. & 5. s. 5. & Aph. 13. s. 3. si hyems austrina, & valde pluvia erit, ver verò plus justo siccum vel aquilonium, senibus defluxiones oriuntur brevi interficientes.* Quo ad cibum & potum, puls cibus infantum est, & lac potus, in hanc lucem recens editorum, quamvis etiam primus cibus infantuli mel sit, quod quidam statim dant ad eluendas stomachi & intestinorum mucosas sordes, ut & alvus dejiciat humorum colluviem in utero contractam; alii vero ad avertendos motus epilepticos & convulsivos, aliosve morbos ab acido oriundos infantulo ex uteri claustro vix dimisso præbent ☍ sesamin. vel amygd. d. c. pauxillo crem. ♀i ut & syr. d. spina infector. vel cich. c. Rhab. & hoc eclegmate ad tres quatuorve dies infantem cibant, ut a morbo comitiali præservent, eò quòd ita commode corpusculo eliminetur meconium nigrum illud piceumque excrementum, cui in corpore relicto, temporisque successu majorem acrimoniam acquirenti varios teterrimos morbos adscribunt Authores. Postea præbetur nutriendo infanti lac ipsum, lacteus ille liquor & nectar infantile à sanguine arterioso beneficio glandularum conglomeratarum in mammis separatus tam diu ab infante exugitur, donec is robustior factus solidiora alimenta digerere possit. Sic natura sagax & provida tam bene infantibus prospicit, cum lactis fontes impleat ante aperiatque quam prodeat infans in lucem; ut dulcoris illicio excitus puer addiscat sugere mammas, postea assuescit lacticiniis, & aliis hujus farinæ alimentis, mellitis lactantur poculis, bolos enim solidioris cibi mandare nón potest infantia. Pariter senes edentulos solis liquidis contentos esse oportet; quia dentium actio in masticationis negotio necessaria deficit, & deest masticatio actio actionum animalium ferè nobilissima, unde salus omnium reliquarum. Ubi molares dentes desunt, mola microcosmica indebitè molit, & deinde in labaratorio ventriculi nil vel parum extrahitur. Talia ita-

que ori buccisque senum ingerenda, quæ vel facilè subigi, vel leviter deglutiri possunt; hinc senibus parantur panatellæ & embammata, coquuntur juscula, inspissantur ex avena, oryza aut polline quocunque pultacea edulia, lixantur ova sorbilia, assantur pyra & poma, offeruntur varia lacticinia, lac siquidem ob particulas butyroso oleosas ad jacturam ablati resarciendam longè aptissimum; recensita alimenta levissimo masticationis negotio subacta in senilem ventriculum demitti queunt. Notandum tamen, ne simul atque semel multa ingerantur, sed successivè ob debilem ventriculi digestionem concedantur; senilis vitæ lampas, nisi alimentorum oleum crebro suppeditetur, citò & facilè extingvitur, sed uti lampadis elychnium ab oleo immodicè & indiscretè affuso suffocatur, ita calor nativus per se debilis à copiosâ alimentorum assumptione supprimitur, cibus ergo sit parcus sed crebrior, ita pariter methodo cum infantibus procedendum. In Potu tamen speciale privilegium senectus habet, cui vinum utpote lac senum ob particulas suas volatiles & oleosas restaurativum modicè & medicè concedi potest.

Motum quod attinet, infans quiescit, nisi in tepidis agitetur cunis, vel à gerulis gestetur in ulnis: sic ipse senex sellæ vel lecto affixus hæret, nec sine duce alio potest procedere, nisi casui vel ludibrio insolentium velit se exponere; hinc solent dicere: sie hätten ihre Spring gethan.

Somnus nutrimentum infantum est, & alter cibus senum est, quo si defraudabis utrosque, istos plorare facies & hos murmurare, somnolentiæ mollis ætatis infirmitas adhærescit: causam proclivitatis in somnum rejicimus in humiditatis excessum: cum enim molles admodum & laxæ sint musculorum fibræ non possint à spirituum animalium influxu satis intendi ad motus validos exercendos ad vigilias in nervorum canales non fortiter influunt: Somnolentia potissimum arguit cerebrum nimiâ humiditate obrui & paucos habere spiritus item viarum angustia spirituum influxui officit, donec eorum fluxu sint dilatatæ; ab his somnus seu cessatio actionum sensus communis & sensuum externorum ob feriam-

riantem ſpirituum influxum; uti à contrario vigilia eſt continua operatio ſenſus communis & ſenſuum externorum à ſpiritibus influentibus excitata; humorum proinde affluentia affluxum & communicationem in organa ſenſuum continuandam impedit. Quod ſpiritus in cerebro impediti cauſa ſint patet, quod omnia ſomnum inducentia ſint illa, quæ ſpiritus animales abſumunt, ut ſunt vigiliæ labores & defatigatio, curæ, balnea æſtus, vel quæ illos obtundunt, & minus mobiles, ac quaſi ignavos turbidosque reddunt, ut vult ſennertus, vel ut alii malunt, viam iis occludunt, ut ſunt vaporoſi odores & vapores à cibo & potu aſcendentes, vel quæ ſpiritus quaſi placant, & à motu ad quietem invitant, & ne diffluant, prohibent, ut ſunt cantus ſuavis, murmura aquarum, frictio blanda, cogitationum ſuſpenſio, lectio parum attenta, ſilentium, tenebræ.

In excretis & retentis prima & ultima ætas ſibi nequit proſpicere, & ob atoniam muſculi ſphincteris liberæ excretionis impotens eſt. Denique affectus animi correſpondent & conſymboliſant in ambobus, infantes delectantur nutricularum næniis, matercularum popysmis, ubi infantilibus cunarum vinculis ſoluti ſunt, equitant in arundine longa, atque ſtruunt luteas, dædala tecta, caſas, pueri puerilia tractant & turbines agunt in gyros, ita & ſenex bis puer factus nullis amplius ſeriis negotiis impenditur, ludrica ludit, & memoria evaneſcente repueraſcit, cum parvulis iram conceptam & mærores facilè remittit, nec ullâ tentatur vindictâ, ſuperbiâ aliisque animi paſſionibus. Pro gratia à DEO conceſſa in hoc aliisque laboribus academicis meis *ſenes cum junioribus laudent nomen Domini.*

F I N I S.